



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

XXIII. Nomen Iesv scripturit suis lacrymis Magdalena.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

164. BALDVINI CABILLIAVI LIBER V.

MAGDALENA SPINA MUNDO,  
MAGDALENA DOS AMORI,  
LILIVMQVE LACRYMARVM;  
MAGDALENA CANDIDATVS  
FLOS ROSAE RUBENSQVE, MISTVM  
LACRYMIS BIBENS CRVOREM.

X X I I .

*Nomen I E S V scripturit suis lacry-  
mis MAGDALENA.*

**Q**VID premis angusto luctantes pectore  
flamas,  
Atque indignantes claustra maligna rogos?  
Immensis animanda globis incendia curto  
Quis celet gremio? quà data porta, ruant.  
Sed pudor inclusas ardo sub carcere flamas  
Opprimit, oblictans corde sub indomito.  
Nec potis est pando prorumpere luctus hiatu,  
In gemitus, questus, flammiuomasque preces,  
Quid facias, queris? quid lamentabile ploras,  
Ah! suspiria hiante ægra trahens gemitu?  
Suadeo flendo loqui, non voce sonante, querelas:  
Nil opus hic verbis, vox vbi viua liquor;  
Ille liquor riguo qui lumine stillat Amorem,  
Quique suis animi vulnera scribit aquis.  
Scribitur: & quidnam? guttā cùm trudit euntem  
Gutta sequens, sudis I dedit ire genis.  
Multalitura cadit, & littera multa; sequaci  
I de crystallo lacryma longa trahit.  
Iam longis I stabat aquis; iamque ibat IESVS:  
Conturbat fluidas plurima lympha notas.

Nam



Nam lacrymas tereti filo quas nebat ocellus,  
 Nunc glomerat densis turbidus amnis aquis:  
 Parca sed vndantes castigat habena liquores,  
 Et rursum tenui fletus in imbre cadit;  
 Iamque nouo tractu rursum serpebat IESVS:  
 Hæsit in I; rapidis cetera delet aquis.

## XXIV.

*Serpentes crinibus MAGDALENAE inerrant.*

Tet*ra* tortili dolosus  
 Draco ligat flagello,  
 Et sibilas in iras  
 Armat caput Medusæ.  
 Ludus Medusa, ludus,  
 Ludus tui dracones,  
 Sed dirus ambo ludus.

## XXV.

*Angues implexos crinibus MAGDALENA lacrymis oppugnat.*

Tantum nefas venustis  
 Errare tu capillis  
 Sines, sines inultum?  
 Impunè tot cerasæ  
 Adulterant pudicam  
 Frontem feris colubris,  
 Et os tibi flagellant  
 Vibice crispisulcâ?  
 Num sic inexpiati

Hydri